



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 104. Italia ad Turcicæ Classis adventum perterrita, & de bello parando  
deliberatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

capere , ejus bona ærario addicere , Sæcul XVI.  
eumque tanquam perduellem insequi A.C. 1552.  
vellet : cum autem hæc interim gere-  
rentur , Henricus II. Lutetiam Parisio-  
rum reversus est , quin tamen suis co-  
piis missionem faceret.

## §. CIV.

*Italia ob Turcicæ classis adventum per-  
terrata, & de bello parando delibe-  
ratum.*

Ceterum Imperator hoc anno haud *Thu. hist. l. 11*  
magis prospera armorum fortuna in *Contin. de*  
Italia , quam in Germania , ac Lotha- *Chalcon. l. 14.*  
ringia utebatur ; cum enim Turcarum *n. 45. p. 610.*  
classis centum viginti tribus triremibus ,  
quibusdam myoparonibus , plurimis-  
que navigiis minoribus valida Constanti-  
nopoly die quarta Maii solvisset , ac in ma-  
re Tyrrhenum descendisset , tam inopi-  
natus hostium incursus totam Etruriam  
summo terrore replebat , cum autem  
classis jamjam ad Messanensem Pharum  
venisset , hanc tempestatem Italiae im-  
minere omnibus erat persuasum , licet  
adhuc , quam in partem potissimum in-  
cumberet , ignoraretur : Itaque Cos-  
mas Magnus Etruriæ Dux crebris  
literis Cæsarem monebat , ut Senensis  
Reipublicæ securitati prospiceret , eo-  
quod in ea civitate nonnulli cives Jaco-

E e 4

bi

Sæcul. XVI. bi de Mendoza Gubernatoris arrogan-  
A.C. 1552. tiam pertæsi ad pristinam libertatem  
anhellarent, certa spe freti, quod Galli  
ad omnes motus intenti eis opem laturi  
essent, cum nil, nisi opportunam præ-  
stolarentur occasionem. Verum major  
erat Cæsari de Neapolis Regno sollicitu-  
do, quapropter ductoribus Joanne Bap-  
tista Lodronio, & Nicolao Madruio  
copiae eo submisit: cum vero illis tran-  
sus a Pontifice per ditionem suam ne-  
garetur, eoquod hic vereretur, ne pa-  
cem cum Galliarum Rege initam vio-  
lasse crederetur, hinc negotium daba-  
tur Auriæ Duci, ut hosce milites classe  
sua Neapolin transferret: porro cum  
Mendoza ostenderet, quod Hispano-  
rum copiae, quas ducebat, arcii Senen-  
si, necnon Orbitello contra Turcarum  
insultus defendendis minime sufficerent,  
ideo mille Germanos, & trecentos e-  
quites a Gonzaga impetrabat, nec mi-  
nus Cosmas ditionis suæ fines milite,  
omnique belli apparatu firmare stude-  
bat.

Dum hæc interim gerebantur, Sa-  
lernitanus Princeps in Italiam reverte-  
batur, pluribus instructus literis, quas  
Franciæ Rex ad illos, qui ejus nego-  
tia ibidem procurabant, eo fine per-  
scribebat, ut hi cum ceteris de oppor-  
tunis conferrent mediis. Ergo Hypo-  
litus

litus Cardinalis Hercul s Ferrariae Du-Sæcul. XVI.  
cis Frater, Cardinalis Turnonius, Pau- A C 1552.  
lus Therinus, Princeps Salernitanus,  
Odetus Silva regius apud Venetos O-  
rator, Ludovicus Picus Mirandulæ Co-  
mes, necnon Cornelius Bentivolius  
Clodium Venetæ ditionis civitatem ve-  
niunt: Farnesiorum vero nomine huic  
conventui intererant Hieronymus Vete-  
ranus patria Pisanus, & Marius Ban-  
dinus Senensis. Ibidem de bello in Ita-  
lia gerendo actum, diuque discepta-  
tum, priusne Mediolanensem Ducatum  
an regnum Neapolitanum aggredi ex-  
pediret? cum vero neutrum placeret,  
tandem conclusum, ut de liberanda Se-  
nensium civitate unice ageretur, eo-  
quod hæc ad res novas feliciter moli-  
endas magnum momentum conferret,  
nec inutilis ad hæc consilia videretur  
Turcicæ classis adventus, cum potissi-  
ma Senensis ditionis pars ad Tyrrhe-  
num mare excurreret, proin si res mi-  
nus e sententia cederet, distractis fal-  
tem hostium viribus facilior in reliquis  
victoria esset. Placuit ceteris hæc sen-  
tentia, unde Cornelius Bentivolius in  
Gallias mittebatur, ut Regem hac de-  
re certiorem faceret.